

# CICERO – DE RE PUBLICA

Nam cum P. Africanus hic Pauli filius feriis Latinis Tuditano consule et Aquilio constituisset in hortis esse, familiarissimique eius ad eum frequenter per eos dies ventituros se esse<sup>1</sup> dixissent, Latinis ipsis mane ad eum primus sororis filius venit Q. Tubero. quem cum comiter Scipio adpellavisset libenterque vidisset, 'quid tu' inquit 'tam mane Tubero? dabant enim hae feriae tibi opportunam sane facultatem ad explicandas tuas litteras'. tum ille (Tubero): 'mihi vero omne tempus est ad meos libros vacuum; numquam enim sunt illi occupati; te autem permagnum est nancisci otiosum<sup>2</sup>, hoc praesertim motu rei publicae'.

---

<sup>1</sup> *dixissent se esse ventituros, immo dixissent quia erant ventituros.*

<sup>2</sup> *permagnum est nancisci te otiosum.*